

12. 12

QUÆ RES BENE VORTATI  
DE  
TIGNO JUNCTO

*consensu*  
*Amplissimæ Facultatis Juridicæ*  
PRO LOCO  
*in eâdem sibi assignato*  
*publicè disputabit*

CASPAR ZIEGLERUS, D.&P.P.

*& respondebit*  
JOHANNES JEREMIAS REUSNERUS

*ad diem 23. Augusti*  
in Auditorio majori.

---

WITTEBERGÆ  
Typis JOHANNIS RÖHNERI Academ. Typographi  
ANNO MDCLV.

52  
PROTOSYNEDRII ELECTORALIS  
SAXONICI

PRÆSIDI EMINENTISSIMO

&

ASSESSORIBUS GRAVISSIMIS

VIRIS

Generoso, Admodum Reverendis, Magnificis, Amplis-  
simis, Consultissimis & Excellentissimis

Dominis Mœcenati & Patronis meis maximis

*ut me totum*

ita hanc Disputationem

eâ qua par est

animi promptitudine

offero

Caspar Zieglerus.



CVM BONO DEO!

**T**igni appellatione in Legibus XII.

Tabb. omne genus materiae, ex qua aedificia constant, significatur. *l. 62. de V. S. §. 29. J. de R. D. l. 7. ad exhib. l. 7. §. 10. de A. R. D.* quin & id, quod in vineis adhiberi oportet, cum & earum curam & defensionem providi susceperint Romani. Unde quidam ajunt [sunt verba Ulpiani] tegulam quoque & lapidem & testam, caeteraque si qua aedificijs sunt, utilia, hoc amplius & calcem & arenam tignorum appellatione contineri, sed & in vineis tigni appellatione omnia vineis necessaria continentur, ut puta perricæ, pedamenta &c. *l. 1. de tign. junct.* Aliàs verò apud Architectos tignum sumitur pro certâ quâdam parte contignationis. Vitruv. *l. 4. c. 2. Trabes supra columnas & parastatas & antas ponuntur: in contignationibus tigna & asses.* Sed cum Jcti id omne quod ad contignandum aptum esset, haud absurdè tigni vocabulo exprimi posse putarent, maluerunt hâc in parte illi tantisper à strictâ vocis acceptione deviare, & novam sibi propriam efficere, ut, si aliter non possent, tecnico saltem vocis usu apud Grammaticos excusarentur, Vid. Alciat. *ad l. 62. de V. S. Coraf. l. 3. misc. c. 25. n. 1. 2. 3.* Utrum autem etiam apud Jctos vocabulum tigni in materiae servitutum aliter atque hîc, & presius quidem accipiatur, disquirunt ex unâ parte Zasius *in part. de S. P. l. n. 15.* & Gœd. *ad l. 62. de V. S.* affirmantes, ex alterâ Donellus & Hilliger *l. 11. c. 4.* negantes; quod tamen hujus loci propriè non est.

II. Tignum igitur junctum in complexo significato denotat omne id, quod vel aedificij vel vineae partem actu constituit, ita ut usum jam suum praestet, nec sine damno avelli inde possit. Quanquam enim ubi tignum solutum iterum fuerit,

A 2

non

non malè quærat, utrum actio de tigno juncto locum adhuc habeat, & sic tignum junctum non semper actum jungendi innuere videatur, tamen & tùm quoque ad actum istum, qui præcessit, habetur respectus, sufficitque tignum junctum jam esse aut aliquando fuisse, ut ita & præsens & præteritum per istud vocabulum exprimat.

III. Cum vero tignum ædibus nostris vel vineæ junctum, sit vel nostrum vel alienum juxta *pr. 7. de R. D.* & verò, ubi de nostro in nostro ædificavimus, dubium nullum existat, quin id totum nostrum sit & maneat, quæstio hïc erit tantùm de tigno alieno. Et quidem 1. utrum tignum alienum junctum ædificio fiat jugentis, an verò maneat ejus cujus antea fuit. 2. Si hoc, utrum vindicare id aut ad exhibendum agere liceat. 3. Si non liceat, quomodo consulendum sit Domino, ut ne invitus re suâ carere cogatur. Et in his tribus articulis tota nostra versabitur disputatio.

IV. Quod primum attinet, generalis est regula, accessionem cedere toti, id est, acquiri ei, cujus est totum *l. 6. §. 1. l. 19. §. pen. & ult. l. 23. de aur. arg. mund. leg.* Necesse enim est ei rei id cedere, quod sine illâ esse non potest. *l. 23. §. 3. & 4. de R. V.* Quemadmodum igitur ædificium totum, ut ex alienâ materiâ constructum, solo cedit *l. 29. §. 2. de pign. l. 7. §. 10. l. 28. de A. R. D. l. 2. de superfic. l. 2. C. de R. V.* idque sive dominus soli ex alienâ materiâ ædificaverit in suo, sive è converso dominus materiæ ædificaverit in solo alieno *d. l. 7. §. 10. & 12. de A. R. D. §. 29. & 30. 7. de R. D.* ita & tignum, ut ut alienum id fuerit, si ædibus jungatur, necesse esset ædibus istis & domino earum acquiri, si quidem allegato axiomati insistere semper liceret.

V. Et quid in liceat? Cum enim totum ædificium sit ejus, qui ædificavit, necesse est, ejus etiam esse omnes ædificij partes simul sumptas, siquidem totum non denotat naturam à partibus distinctam, & nihil aliud est, quàm partes simul sumptæ. Inter has autem partes invenitur etiam tignum junctum, quod unâ cum reliquis *συναπτομένοις* facit, ut totum ædificium sit corpus quoddam *συνημμένον* *l. 30. de Usucap.* conjunctum *Vitruvio 5. c. 4.* compositum *Senecæ ep. 17.* Vid. *Cœl. Rhodig. l. 15.*

L. A.

*L. A. c. 23. Alciat. l. 2. pratermiss. & ergo tignum illud cum rellis  
quis unà sumptum erit jungentis, qui scilicet dominus est ædi-  
ficij, nec quicquam proinde amplius ad eum, cujus antea fue-  
rat, pertinebit.*

VI. Quid igitur est, quod Cajus *d. l. 7. §. 10. de A. R. D. &  
Imperator §. 29. §. 7. de R. D.* scribunt, materiæ dominum do-  
minium non amittere, nec desinere dominum esse? *Utrum ergo contra l. 5. §. ult. commod. duos unius ejusdemque  
rei in solidum dominos statuemus? Non arbitror, & salva res  
est, si ex l. 7. §. 11. de A. R. D. & l. 23. de Usucap. distinguamus inter  
ipsas ædes & materiam ædium, quemadmodum inter navem  
& materiam navis distinguit Iustus Paulus l. 18. §. 3. de pign. act.  
Per ædes enim quam primùm illæ nominantur, confestim to-  
tum aliquod integrale aut universitas quædam ædificij, quem-  
admodum loquuntur Gajus & Javolenus *dd. ll. concipitur,*  
quæ ex cœmentis, tignis, lapidibus constat, uti *th. præ-  
ced. dixi.* Materiæ vero ubi mentio fit, non jam totum ali-  
quod, aut partes universæ sub ratione totius, sed singulæ partes  
seorsim concipiendæ veniunt. Quo fit, ut, si tigna vel cœ-  
menta consideremus, prout juncta ea sunt & connexa ædificio,  
sub hâc notione domini totius eadem esse, non malè dicamus.  
Quod si verò animum à conjunctione avertamus, & ædificio  
quasi insuper habito tigna consideremus in se & ut seorsim sub-  
stantiam suam habentia, non potest videri materiæ dominus  
jus suum amisisse, ut optimè hoc declarat Arn. Vinnius *comm. ad  
§. 29. §. 7. de R. D.* Conf. aliter hæc explicantem Ægid. Hortens. *ad  
d. §. & Georg. Martin. in contrar. non contrar. disp. 2. n. 13.**

VII. Cum igitur duabus potissimum actionibus, ut rem  
suam recipiat, Dominus uti possit, aut Rei vindicatione, aut si  
eam commodè instituere nequeat, actione ad exhibendum  
præparatoriâ *l. 6. & 7. ad exhib.* cum hâc scilicet intentione, ut  
vel res, quæ alienæ juncta est, & accessionis jure eidem cedit,  
separetur, & sic via ad Rei vindicationem sternatur, vel, si ex-  
hiberi in suâ substantiâ non possit, eò quod fortè consumpta sit,  
ut in litē juretur *l. 5. §. 2. ad exhib. §. 2. §. 7. quib. alien. lic.* materiæ quoq;  
& tigni dominum his iisdem actionibus suum id repetere possit  
se haud frustra quis diceret, præsertim, cum ex suâ parte do-

minium, Reus verò ex suâ parte non nisi possessionem, quæ multo inferius & debilius jus infert, allegare valeat.

VIII. Sed enim neutram actionem à domino tigni institui posse disertè dicitur in § 29. 7. de R. D. & l. 7. §. 10. de A. R. D. quamdiu sc. tignum junctum fuerit. Causa est non inhabilitas ipsarum actionum, ac si illæ minus idoneæ essent, quæ ad hoc negotium trahi possent, sed vis aliqua impeditiva juris positivi, Legis nempe XII. Tabb. quæ neque solvere permittit tignum furtivum ædibus vel vineis junctum, neque vindicare, uti habetur l. 1. de tign. junct. l. 6. ad exhib. l. 23. §. pen. de R. V.

IX. Verba Legis XII. Tabb. sunt: TIGNUM JUNCTUM ÆDIBUS VINEÆVE NE CONCAPET NE SOLVITO. In quibus explicandis & emendandis mirum quantum variant Interpretes. Plerique omnes in vocabulo CONCAPET plurimum posuerunt industriæ, ut verus aliquando exinde sensus eliceretur, præsertim cum exemplaria quædam CONCAPU legant, ex quo sibi acumen suum criticum, intendere licere docti & indocti pariter existimarunt. Sunt, qui pro NE CONCAPET legi volunt ET CAPULO, inter quos est Rævardus ad LL XII. Tabb. c. 22, & Arn. ab Haersolte part. 7. adf. 10. per capulum intelligentes feretrum, quo mortui efferebantur, quasi prohibuerint Decemviri tignum feretro junctum dissolvi, ne scilicet funus impediatur, neve justa hominis mortui turbentur. Sed quia nec apud Festum, nec apud JCtos unquam feretri aut funeris mentio facta est, quando de tigno juncto agere instituerunt, ædium autem & vinearum crebrò, minus accommodata videtur ista emendatio & explicatio. Henr. Salmuth. in not. ad Guid. Panciroll. part. 1. ver. mem. p. 125. Felicior autem est Cujacius l. 23. obs. 19. qui in antiquis schedis Festi pro NE CONCAPET invenit ET CONCAPIT, quod deinceps corrigit & legit ET CONCAPITUM id est conceptum, cognitumque. Cognitas enim fuisse res furtivas, quæ in propatulo fuissent, conquistis verò & cognitais, quæ latuissent. Ut ita concapitum Cujacio idem sit, quod furtivum. Adr. Turnebus l. 13. adv. c. 27. admodum fluctuat, & postquam conjecturis aliquandiu indulisset, nescit ferè, cui inter eas tutò insistere debe.



debeat. Modo enim COPULA NE SOLVITO, modo CUM  
CAPITE NE SOLVITO, modo NE VINDICATO NE  
SOLVITO, modo NEVE CAPITO NEVE SOLVITO le-  
gendum putat, & tamen dubium relinquit Lectorem, qui et-  
jam istas emendationes omnes, ut nimium ab antiquis libris  
recedentes, facili negotio rejicere potest. Josephus Scaliger  
*in not. ad Fest.* & eum secutus Dionysius Gothofredus *in not. ad  
fragm. XII. Tabb.* legunt: ET CONCAPES. Tignum concapes  
autem ipsis est, quod habet caput suum cum capite vineæ aut  
vitis id est radice commissum & dicitur ita ad analogiam τῶν  
primicapes, præcapes, deincapes, ancapes, formicapes, terti-  
capes, quarticapes, quinticapes &c. Optimè sanè, nisi noviter  
Jacobus Gothofredus *in not. ad tab. VI. LL. XII. Tabb.* rationes  
exposuisset, quibus, quod cum Scaligero facere non posset,  
inductus fuisset. Mavult autem ille NE CONCAPET posi-  
tum pro NE CONCAPE ET hoc est ne vindica. Quâ ratione  
tam vindicationem ex parte actoris, quam solutionem tigni ex  
parte rei in verbis istis prohibitam nullâ prorsus facta emenda-  
tione ostendit. Et sic igitur optimè conveniunt verba legis  
cum verbis Ulpiani *in l. i. de tign. junct.* qui itidem & vindicatio-  
nem & solutionem lege interdictam scribit, ut proinde ab Ul-  
piano eodem prorsus modo Tabulam istam aut lectam aut in-  
tellectam præsumere liceat. Concapere enim Gothofredo  
idem denotat, quod vindicias intendere, simul cum adversario  
rem, de quâ controversia est capere, & sic vi festucariâ vindi-  
care. Quæ quidem explicatio admodum plausibilis videtur,  
tùm quod verba relinquat prorsus immutata, tum quod men-  
tem legis plenius exponat, & consentientes sibi in jure textûs  
habeat alios, si modo talis verbi Concapere significatio testi-  
monio aliquo utcunque juvari possit. Est tamen adhuc alius Si-  
mon nempe Bosius qui *l. ad Attic. 19.* referente Dionysio Go-  
thofr. pro NE CONCAPET legit E COMPAGE. Sed  
præterquam quod lectioni antiquæ vim inferat, etiam de eo  
adhuc dubium oriri posset, utrum vocabulum COMPAGES  
ejus ævi sit, ut Legibus XII. Tabb. convenire Bosio sine teste cre-  
dere oporteat. Παρεπλάσματα igitur hîc adhibere tantisper  
libet,

libet, donec hyperaspites quidam nobis hanc operam navet  
& antiquitatis rudera planius evolvat. Nec enim quis ho-  
diè criticus talis est, quicum velis in tenebris micare. Interim  
benivolum Lectorem suo abundare sensu non prohibeo, dubi-  
um tamen vel Cujacij, vel Scaligeri, vel Gothofredi, cujuscunq;  
inter hos libuerit, sententiam amplecti jubeo.

X. Sed quæ tamen cunque electa fuerit & adprobata,  
manet tamen, legem vetare *l. 6. §. 1. ad exhib.* prohibere *l. 98. §. ult. de solut.* non permittere *l. 1. de tign. junct.* ut tignum ædibus  
junctum eximatur, aut à Domino vindicetur. Ex quibus texti-  
bus contra quam alij faciunt, explico *§. 29. 7. de R. D. & l. 7. §. 10. de A. R. D.* Quando enim à Gajo & Justiniano dicitur caveri Le-  
ge XII. Tabb. *ne quis tignum eximere cogatur, & ne ædificia re-  
scindi necesse sit*, plerique omnes putant, sensum esse, licere  
quidem jungenti tignum iterum solvere, si velit, sed, si nolit,  
cogi cum non posse. Ego nec licere id quidem liberè existimo,  
cùm propter ipsa verba legis, quæ prohibitoria sunt, tum pro-  
pter allegatos textus, quibus *vetitum, prohibitum & non permis-  
sum esse* disertè dicitur. Et quid igitur esset vetare & prohibere,  
si id, quod prohibitum est, patrare liceret, si contrario facto  
vim legis dispositivam extinguere permillum esset. Quare  
quod Justinianus de coactione & necessitate dixit, in eo ad re-  
gulas communes respectum haberi existimo. Cum enim do-  
minus materiæ, eò quod dominium nunquam amiserit, jure  
optimo id quod suum est, vindicare posset, & jungentem idcir-  
co tignum solvere oporteret, ad quod cogeretur utique, si spon-  
te id perficere nollet; factum est per L. XII. Tabb. ut neque ille  
vindicare neq; hic solvere aut ad solutionem cogi possit. Quem-  
admodum enim illi vindicatio, ita huic solutio prohibita est  
& interdicta per *l. 1. de tign. junct.* At verò vindicatio domino  
ita interdicta est, ut prorsus non institui possit, & ut omnis vin-  
dicandi potestas planè ipsi auferatur. Quidnè ergo etiam so-  
lutionem jungenti ita interdictam dicamus, ut omnis planè  
solvendi potestas ipsi ablata fuerit. Non igitur cogi amplius  
potest, qui tignum junxit, ut reddat, quemadmodum cogi pos-  
set, si Lex ea lata non fuisset, nec necesse est amplius ædificia  
rescin-

rescindi, quemadmodum necesse esset, si Lex non prohibuisset. Dum ergò Lex non amplius id permittit, sed vetat & prohibet, neque cogi amplius quis ad eximendum potest, nec ædificia rescindi amplius necesse est, adeoque verba Justiniani & Gaji id potius, quod consequens est, quodque per prohibitionem sublatum fuit, quam ipsam totam vim & sensum legis respicere persuasum habeo.

XI. Ista autem omnia, ut rectius percipiantur, juvat in rationem Legis paulisper inquirere. Quanquam enim rationes eorum, quæ constituuntur, inquire non oporteat *l. 21. de ll. id tamen non ita intelligendum est, ac si investigatio rationis fieri non debeat ad sententiam legis percipiendam, sed ne quis animum inducat, non prius parendum esse Legi, quam rationem ejus peruestigaverit, ut rectè Donell. l. c. 13. Duplicem verò legis hujus rationem prodit Arn. Vinnius comm. ad §. 29. 7. de R. D. unam, ne ædificia rescindi necesse sit, per l. 1. de tign junct. l. 7. §. 10. de A. R. D. d. §. 29. 7. de R. D. alteram, ne per hoc ruinis Urbs deformatur, per l. 2. §. 17. ne quid in loc. publ. l. 2. C. de adif. priv. & ne vinearum cultura turbetur, d. l. 1. de tign junct. Illa ipsi dicitur principalis, & τὸ ἄρξενον, hæc verò οὐρανὸν & prioris adminiculum. Sed quod pace tanti Viri dixerim, prior ratio mihi non usquequaque videtur conformis aut accommodata, certè non principalis. Cum enim ratio hîc à fine sit desumpta, finis autem ultimus, ad quem omnia reliqua tendunt & diriguntur, meritò principalis dicatur & primarius, utique etiam principalem Legis rationem necesse est, ut dicamus eam, quâ intendit prohibere, ne ruinis Urbs deformatur. & contra minus principalem & prioris adminiculum eam, quâ intendit & prohibet, ne ædificia rescindi necesse sit. Hæc enim ad ulteriorem illam reflectitur, nec sufficit prohibere, ne ædificia rescindantur, nisi ratio aliqua subsit, ob quam ea rescindi non oporteat. Sic igitur invertendum potius erit, quod de ratione principali & minus principali dixerat Vinnius.*

XII. At vero ne sic quidem Legis mentem satis percipisse aut enodasse videmur. Quin id potius, quod pro ratione

B

pas-

pāssim assignatur, ne scilicet aedificia rescindi necesse sit, pro ratione verā non habemus, sed pro materiā potius legis & objecto, circa quod prohibendo versatur. Quid enim aliud est eximere aut solvere tignum, quā aedificium rescindere? Sive enim prohibeas, ne tignum eximatur, sive ne rescindatur aedificium, utrobique idem prorsus prohibuisse censeris, nec poterit aliter nisi tigna eximendo aedificium rescindi. Quod autem in supra allegatis textibus dicitur, ideò taliter provisum esse à lege, ne aedificia rescindi necesse sit, voce ideò non rationem, sed id potius, uti supra diximus, quod ante latam legem per regulas juris communis obtinebat, insinuari putamus ut sensus sit: Aedificia olim rescindi necesse erat, quamprimum alius tigna sua in ijs juncta invenerit, & vindicaverit, aut ad exhibendum egerit; at hodiè necesse amplius non est, propter L. XII. Tabb. quæ necessitatem istam sustulit, & rescindere prohibuit. Quando verò deinceps quaritur, quare id prohibuerit, tū rectè respondetur *ex l. 2. §. 17. & l. ult. nequid in loc. publ.* ne ruinis urbs deformetur. Hæc igitur principalis saltem & præcipua, si non unica causa est, quare legem istam conscripserint Decemviri.

XIII. Scilicet magna tū erat apud Romanos cura aedificiorum: & ne urbs nitorem suum perderet, sed majori etiam indies insurgeret, non Decemvirorum tantum, sed Imperatorum etiam temporibus leges latas accepimus. Refert Suetonius, Vespasianum, postquam deformis Urbs veteribus incendijs ac ruinis esset, vacuas areas occupare, & aedificare, si possessores cessarent, cuicumque permisisse, c. 8. Idem de eodem habet Sextus Aurel. Victor. *in Epit.* quod tamen D. Marcus ita temperavit, ut post quatuor demum menses instauratori dominium addiceret, *l. 52. §. 10. pro soc.* Vid. Cujac. *19. Obs. 20.* nec frustra probata fuit Lex municipalis, quæ ruinā lapsorum aedificiorum aream fisco addicebat, *l. 4. C. de jur. Reip. lib. XI.* Pertinet enim ad decus Urbium, aedificia non derelinqui *l. 20. §. 10. de nov. op. nunc.* Hinc igitur Præfidi provinciæ incumberebat, ut inspectis aedificijs dominos eorum causā cognita reficere ea compelleret

leret, & adversus detrectantem competenti remedio deformi-  
tati auxilium ferret *l. 7. de Offic. Præs. quod idem ad Curatoris*  
*Reip. officium spectare dicitur l. 46. de damn. inf. Conf. l. 8. C. de*  
*adif. priv.* Si qua tamen contra ornatum & commodum ac de-  
coram faciem civitatis extracta fuissent, omnia ista dirui pro-  
tinus & everti jubebantur *l. 5. l. 14. l. 17. C. de op. pub.* E contrario,  
si nihil tale deprehensum fuisset, ne tignum quidem inde avelli  
permittebatur, quia scilicet intererat, ne publicus deformare-  
tur ad spectus. *l. 2. l. 3. l. 6. l. 7. C. de adif. privat. l. 52. ff. de contr. empt.*  
*l. 48. de damn. inf.* Vid. Perez. *ad tit. C. de adif. priv. n. 7. 8. seqq.* Ca-  
saubon. *in Spartian. p. 32.*

XIV. Cum igitur eximi tignum junctum non permit-  
tatur à Lege XII. tabb. nec vindicari proinde id poterit à Do-  
mino, nec ad id etiam agi, ut exhibeatur. Sed hoc tamen cum  
grano salis est accipiendum. Est enim hinc tunc inter posses-  
sores distinguendum, tunc etiam inter tempora. Possessor  
sive jungens est vel bonæ vel malæ fidei. Si bonæ fidei fuerit,  
verum est quod dixi, contra eum non posse agi, nec rei vindic-  
atione nec actione ad exhibendum. Si malæ fidei fuerit,  
hoc est si sciens alienum tignum junxit, præter actiones alias  
competentes etiam rei vindicatio & actio ad exhibendum in-  
stitui potest. *l. 23. §. 6. de R. V. l. 1. §. ult. de tign. junct.* non quidem  
ad id, ut tignum eximatur, & sic ruinis Urbs deformetur,  
quod expressè prohibuit Lex XII. Tabb. sed ut qui junxit, præ-  
cium tigni & quidem juramento in litem æstimatum præstare  
teneatur. *l. 98. in f. de solut. l. 68. de R. V.*

XV. Agitur scilicet tunc adversus malæ fidei possesso-  
rem, non ut possessorem, sed quasi adversus eum, qui dolo de-  
sijt possidere *d. l. 1. in f. de tign. junct.* Harprecht *in §. 29. f. de R. D.*  
In his enim casibus & rei vindicatio & actio ad exhibendum  
locum habet, non quidem directa, quæ rem adhuc existentem  
requirit, sed utilis, quæ datur etiam tunc, quando res prorsus  
extincta est, sive per naturalem interitum, sive per specificati-  
onem aut accessionem quandam *l. 23. §. 2. l. 27. §. 3. l. 37. de R. V. l.*  
*19. §. pen. & ult. de aur. arg. leg.* Vid. Bachov. *diff. 2. de action. ch. 14.*  
*§. 24.*

B 2

XVI. Quod

XVI. Quod tempus attinet, diximus, Dominum ad-  
versus bonæ fidei possessorem non posse in rem agere, quamdiu  
tignum junctum manserit. Consequens igitur est, vindicare  
posse, quando id solutum, aut quando ex aliquâ causâ ædifi-  
cium dirutum fuerit §. 29. *f. de R. D. l. 7. §. 10. de A. R. D.* Tum enim  
quia cessat ratio legis, redit quoque ad dominum materiæ jus  
vindican-  
di, quod ipsi hætenus interdictum fuerat. Quâ ra-  
tione omninò rectè ait Justinianus, eum qui materiæ dominus  
fuerat, non ideo desisse ejus dominum esse *d. §. 29.* Ut ut enim  
dominium ipsius, eò quod præcipuo vindicationis effectu desti-  
ruatur, ad tempus extinctum & interversum putetur; pleno ta-  
men jure se iterum exerit, quando aliunde ædificium dirutum  
& tignum solutum fuerit. Tum enim ea, quæ connexa erant,  
ad pristinam causam revertuntur *l. 59. de R. V.*

XVII. Hoc igitur casu Rei vindicatio aut ad exhiben-  
dum actio institui potest tam adversus malæ quàm adversus  
bonæ fidei possessorem, nisi jam ante pro tigno adhuc juncto  
satisfactum fuerit. Utrobique enim jure domini, quod num-  
quam ablatum fuit, agitur, utrobique cessat ratio legis, utro-  
bique tignum quâ tale, sine respectu ad ædificium, quod ampli-  
us nullum est, spectatur. Et ergò utrobique idem jus esto.  
Quin intentari possunt hæ actiones etiam tum, quando per 20.  
30. aut plures annos ædificium stetit, non obstante, quod per  
præscriptionem tot anorum adversarius me repelli posse cre-  
dat. Non enim eo ipso, quo universitas ædificij longo tem-  
pore capta est, singulæ quoque res, ex quibus constat, usucaptæ  
sunt, *l. 7. §. 11 de A. R. D. l. 23. inf. de R. V. eleganter l. 23. & l. 30. §. 1.  
de usucap.* Qui namque universas ædes possidet, singulas res,  
quæ in ædificio sunt, non videtur possedisse *l. 30. de acqu. poss.*  
Vid. Covarruv. *relect. c. possessor de R. J. in 6. part. 2. §. 1. n. 5.* Nec  
igitur usucapio mihi aliqua obstabit, quo minus id, quod me-  
um est, petere queam. Quod si vero stante ædificio satisfa-  
ctum mihi fuerit, nulla deinceps actio superest, quando qui-  
dem ipse ædificans dominus materiæ postea censetur.

XVIII. Et

XVIII. Et hi sunt isti casus, quibus Rei vindicatio & ad exhibendum actio à domino materiæ institui possunt. Sed cum illi admodum pauci inveniuntur & iniquum tamen sit, ut dominus tignum suum amittere, aut justo precio invitus alienare cogatur, Lex XII. Tabb. ut, quod nuper abstulerat, resarciret, actionem dedit singularem, quâ reus, qui junxisse convictus esset, duplum præstare cogeretur. Et ista vocatur actio de tigno juncto *d. §. 29. l. 7. §. 10. de A. R. D.*

XIX. Datur itaque hæc actio domino tigni adversus eum, qui junxit. Vid. Pet. Costal. *ad l. 23. de R. V.* nec interest, utrum bonæ fidei fuerit possessor, an malæ. Non enim placet eorum sententia, qui legem XII. Tabb. de tigno tantum furtivo intellectam volunt, & ob hoc bonæ fidei possessorem vel profus non condemnari in duplum oportere contendunt, vel tantum, quando res vitio affecta fuerit. Ita Hilliger *in Donell. l. 4. c. 33. lit. F.* Duaren. *comment in b. l. Cujac. l. 22. Obs. 19.* Haersolt. *part. 7. act. 10.* Gæd. *ad l. 62. de V. S.* Casp. Manzius *comment. ad §. 29. f. de R. D.* Oldendorp. *class. 7. act. 6. n. 6.* Hakelman. *ill. q. disp. 23. th. 12.* Quibus rectè contradicitur à Bachovio *in Treutl. vol. 2. disp. 20. th. 6. A.* Vinnio *comm. in §. 29. f. de R. D.* Harprecht. *adeund.* Just. Meyer. *in Colleg. Argent. tit. de A. R. D. n. 38.*

XX. Quod enim contra bonæ fidei quoque possessorem actio hæc institui possit, ostendo (1.) ex *l. 23. §. 6. de R. V.* Quæritur ibi, qualis actio detur adversus jungentem tignum alienum, & respondetur tum *ἀποφαλικῶς*, quod non detur vindicatio, nec actio ad exhibendum, tum *καταφαλικῶς*, quod detur actio antiqua de tigno juncto. Jam verò quod *ἀποφαλικῶς* dictum fuerat, mox corrigitur, dari scilicet interdum vindicationem & actionem ad exhibendum, sed non nisi adversus eum, qui sciens alienum junxit ædibus, hoc est, malæ fidei possessorem. Quandoquidem igitur hæc duæ actiones ita restringuntur, tertia illa de tigno juncto, quam in genere competere dixerat, adversus quemcunque jungentem militabit. Sic enim argumentari licebit: Adversus quem non potest rei vindicatio

catio nec actio ad exhibendum institui, adversus illum instituenda est actio de tigno juncto. Sed adversus bonæ fidei possessorem non potest rei vindicatio nec actio ad exhibendum institui. Ergo adversus bonæ fidei possessorem instituenda est actio de tigno juncto. Et major & minor est in textu. Minor quidem, quando rei vindicatio & actio ad exhibendum tantum adversus malæ fidei possessorem institui posse dicitur. Major v. quando occupatur Jctus in eo, ut definiat, qualis actio competat, quando utraq; tum rei vindicatio tum actio ad exhibendum deficit. Ita enim actionem de Tigno juncto rei vindicationi & actioni ad exhibendum opponit, ut tum quoq; competere eam adferat, quando alteræ illæ locum non inveniunt. Locum autem non inveniunt tum, ut ipse dicit, quando quis nesciens alienum adibus junxit. Et imò quorsum sententiam suam ita restrinxisset, & tum negativis, tum adversativis particulis interpunxisset Jctus, si de malæ tantum fidei possessore agere constituisset. Poterat enim simplicius & planius dicere: *Tignum alienum adibus junctum & vindicari potest à malæ fidei possessore, & eo nomine ad exhibendum agi. & est insuper actio antiqua &c.* quod tamen dicere minime intenderat.

XXI. (2) Ex sæpè citato §. 29. 7. de R. D. junct. l. 2. de tign. j. ex quibus sic concludo: Quandoquocumq; actum fuit de Tigno juncto adversus malæ fidei possessorem, tum præter duplum jam acceptum superest adhuc rei vindicatio. Sed aliquando non superest rei vindicatio. ubi duplum jam fuerit acceptum. Ergo aliquando non actum fuit contra m. f. possessorem. & per consequens, quia inter bonæ & malæ fidei possessorem non datur medius, contra bonæ fidei possessorem actum fuisse necesse est. Major est in d. l. 2. de tign. j. quam postea pluribus explicabimus. Minor est in d. §. 29. in f.

XXII. Nec video (3) quomodo aliàs conciliari possint textus sub rubr. de tign. juncto cum hoc §. 7. de R. D. & l. 6. ad exhib. nisi illic malæ, hîc bonæ fidei possessorem intelligi debere dixeris. Sic enim adversus inter se pugnans frontibus, sicut illic dari



dari actionem ad exhibendum, hic non dari expressè dicatur, quæ propositiones utiq; aliàs duriter sibi contradicerent, nisi explicacione emollirentur.

XXIII. Accedit (4) quod *l. 23. §. 6. de R. V. l. 6. ad exhib. l. 7. §. 10. de A. R. D. §. 29. §. 7. de R. D.* loquantur generaliter, & tigni alieni tantum mentionem faciant, nec distinguant inter bonæ & malæ fidei possessorem. Ex quibus ipsis unà ostendo, Legem XII. Tab. non tantum de tigno furtivo, sed de alio etiam, quod furtivum non est, conceptam fuisse. Aliàs enim de tigno non furtivo ex L. XII. Tab. nulla esset actio, nulla etiam solvendi & vindicandi prohibitio, cum tamen & ratio Legis & Lex ipsa generalis sit, ut benè observat Just. Meyer. *Colleg. Arg. tit. de A. R. D. n. 39.* Nec movet, quod passim fiat mentio tigni furtivi, & quod ipse hic titulus veluti specialis aliquis sequatur titulum generalem de furtis. Non enim nego, compilatores Digestorū agere sub istâ Rubricâ de tigno tantum furtivo; sed hoc nego, illos ibi actionem de tigno juncto ita restringere voluisse, ut aliàs, si tignum non fuerit furtivum, locum habere negarent. Nec enim valet argumentatio à particulari ad universale. Alijs vero locis ideò fortè tigni furtivi mentionem fieri puto, quia plerumq; res mobiles alienæ in vitium furti cadunt. & rarò admodum tignum alienum quis ita jungit, ut esse id alienum prorsus nesciat.

XXIV. Porro datur hæc actio in duplum, ut æstimetur sc: tignum & duplum ejus æstimationis præstetur. Sed hic singulare quid occurrit, quod in reliquis actionibus nunquam accidere certus sum. Nempe cum aliàs actiones pœnales vel purè tales sint vel mixtæ, hæc pro ratione personæ, contra quam datur, modo pura est, modo mixta. Si enim jungens fuerit bonæ fidei possessor, mixta datur actio, talis sc: quæ in duplo simul rem persequitur. Probatum hoc ex sæpè citato §. 29. §. 7. de R. D. ubi dicitur tum demum institui posse post dirutum ædificium Rei vindicationem, & actionem ad exhibendum, quando materiæ dominus duplum non fuerit consecutus, sequitur ergò à contrario sensu, quando fuerit ille duplum consecutus, non posse vindicationem institui.

Sic

Sic igitur per duplum istud jam impetratum perimitur actio rei persecutoria, & per consequens actio pœnalis de tigno juncto erit mixta per vulgare illud, quod actio merè pœnalis rei persecutoriam nunquam perimat.

XXV. Nec verò cuiquam id iniquum videatur, quod actio pœnalis detur contra b.f. possessorem, qui tamen ex nullo delicto reus sit, sed in nudà & simplici versetur ignorantia. Hoc scilicet est, quod dixi, actionem de tigno juncto in duplum dari etiam contra b.f. possessorem, nec distinxì, utrum tignum furtivum fuerit, quod bonâ fide junxit, ab alio fortè sublatum, an minus. Utrobique enim paria versari jura arbitror, etsi aliàs quoad effectum usucapiendi multum intersit. Sed tamen non omni prorsus culpâ caret, qui de rei qualitate & conditione inquirere omittit. Quia si accuratius & penitius omnia introspiciantur, istâ dupli determinatione non tam pœnam imponere voluisse mihi videtur Lex XII. Tab. quàm consulere & ipsi jungenti, & domino materiæ. Huic quidem, dum injuriam, quod re suâ carere sine facto suo cogatur, commodo aliquo pecuniario compensat. Illi verò, dum hâc ratione dominium tigni addicit & prohibet, quo minus id cum metu ruinæ ædium eximatur. Vid. Harpr. ad §. 29. §. de R. D. n. 16. Fieri enim non rarò potest, ut propter impensas, quæ in exemptionem & solutionem tigni faciendæ essent, & propter pericula quoque aut incommoda, quæ inde metuuntur, libentius quis quadruplum aut pro re natâ etiam decuplum dare paratus sit, quàm ut molestijs istis implicari velit. Duplum ergò dare dum Lex jubet, id jubet, quod rationi & æquitati congruum videtur.

XXVI. Contra m.f. possessorem actio de tigno juncto est merè pœnalis, propter adjectam qualitatem tigni furtivi, & per consequens unâ eum ea institui simul potest alia actio rei persecutoria. Disertè id dicitur in *l. ult. de tign. junct.* ubi JCtus ait, quod *extrinsecus*, hoc est, præter & ultra actionem de tigno juncto supersit Rei vindicatio. Nec enim placet emendatio-

datio Wefenbecij, qui in *comm. ad §. 29. J. de R. D.* pro vocabulo *extrinsecus* legi vult *extinctam*, ut ita planè contrarium textui sensum affingat. Firmari namque potest lectio vulgaris ex *l. 14. §. 5. de serv. corrupt.* ubi Paulus dicit, in eâ actione non extra rem duplum esse, id est, esse actionem in duplum mixtam, quæ contineat rei persecutionem, seu ut Russardus ex *Augustin. 1. emend. c. 2.* benè explicat, alterum tantum solvi debere, quanti damnum æstimabitur. Rævardus ad *LL. XII. Tabb. c. 22.* retinet quidem lectionem vulgarem, sed eam novâ quâdam explicatione infirmat. Nempe tùm demum vindicari tignum posse putat, quando solutum est, quod tunc dicatur extrinsecus, ubi non amplius ædibus cohæret. At vero, ut in eo non fallat Rævardus, quod vindicari tignum posse contendat, ubi solutum id fuerit, fallit tamen in eo, quod putet, extra eum casum rei vindicationem locum non habere. Loquitur enim Ulpianus indefinitè, quod contra m. f. possessorem etiam Rei vindicatio institui possit præter actionem de tigno juncto. Utrum autem stante ædificio, an vero eo demum soluto in rem agere liceat, id non definit, neque id vult vocabulum *extrinsecus*, siquidem id non ad tignum, sed ad actionem referendum est, nempe extra aut ultra actionem de tigno juncto etiam rei vindicationem locum habere. Quod autem ea institui possit etiam tùm, quando tignum ædibus adhuc cohæret, id ex alijs locis petendum est, & nî fallor, disertè dicitur *l. 98. §. ult. de solut.* Vid. Bachov. de *action. disp. 5. tb. 17.* Conf. Hottom. ad *§. 29. J. de R. D.*

XXVII. Sed quæritur, utrum ædificans effugere possit dupli præstationem, si tignum eximere & restituere paratus sit. Affirmant Donell. *4. c. 33.* (cui tamen contradicit ibi Hilliger) Bach. in *Treutl. vol. 2. disp. 20. tb. 6. A.* Vinnius in *§. 29. J. de R. D.* Harprecht. *ibid.* Just. Meyer in *Colleg. Argent. de A. R. D. n. 40.* Sed enim & hic quoque

C

mo

modestè mihi ab ijs dissentire liceat. Dixi suprà, ædifican-  
tem pro lubitu ædes destruere aut tigna eximere non posse.  
Quod si verum, nec poterit præstationem dupli evitare,  
Dn. D. Hahn. *ad b. t.* utut bonæ fidei possessor fuerit, nisi  
fortasse nulla ædium ruina metuenda sit, quod ipsum ta-  
men non propriâ autoritate, (ne fraus fiat Legi,) sed ex ar-  
bitrio & iudicio Magistratus decidendum & concluden-  
dam existimo, *arg. l. 3. C. de edific. priv.* Et enim cessare tum  
legis rationem atque adeò vim quoque ejus prohibivam  
haud frustra opinor, ut proinde, quando censura & iudi-  
cium Magistratûs intervenit, tutò tignum eximere li-  
ceat.

XXVIII. Sed malæ fidei possessorem (etiamsi ille  
sine ædium ruinâ tignum eximere possit, aut etiam exime-  
rit) nihil juvat, actionem de tigno juncto ita exclusam à se  
fuisse, cum etiamnum adversus eum integra sit actio furti  
in duplum. Competunt enim, ut hoc obiter notem, ad-  
versus malæ fidei possessorem ob tignum junctum, quinque  
potissimum actiones (1.) actio de tigno juncto, (2.) actio  
furti in duplum (3.) Condictio furtiva. (4.) Rei vin-  
dicatio. (5.) actio ad exhibendum.

XXIX. Hinc igitur, quia post actionem de tigno  
juncto etiam furti adhuc actionem superesse diximus, ten-  
tari posset cum Just. Meyer *in Colleg. Argent. ad b. t. n. 10.*  
non consumi has actiones à se invicem, sed alteram cum  
alterâ bene cumulari posse. Et oritur utique actio furti  
ex furto prius facto, actio vero de tigno juncto ex ipsâ jun-  
ctione. Quia igitur non furando tantum deliquit m. f.  
possessor, sed etiam id quod furatus est, jungendo, ex du-  
plici isto delicto duplici quoque eum poenâ affici, & duplici  
proinde actione poenali simul teneri, non videtur ini-  
quum.

XXX.


XXX. Hæc sunt ferè, quæ meditari & publicæ exponere luci nunc licuit. non πολυδαίδαλα illa quidem, aut subtilia, talia tamen quæ benigni Lectoris censuram exposcunt, sed unà etiam affectum. Absque hoc si fuerit, omnem censuram deprecor, quippe qui bonis tantùm placere studuerim, sciolis autem & invidis semper adhuc molestus extiterim. Habeant illi res suas.

SOLI DEO GLORIA.




XXV. Hic scriptum est...  
procedit auctoritate...  
Lectis, tamquam...  
solent, sed non...  
onem tantam...  
placeat...  
procedit...

SOLL DEO GLORIA.



VOM









12  
ENE VORTATI  
DE

# JUNCTO

*consensu*  
*cultatis Juridicæ*

LOCO

*sibi assignato*  
*et disputabit*

GLERUS, D.&P.P.

*respondebit*

MIAS REUSNERUS

*23. Augusti*  
*orio majori.*

---

EBERGÆ

INERI Academ. Typographi

MDC LV.